



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Scholis 122

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

*Resp.* Potestatem habemus & mandatum, omnia bona quæ Domino oblata, & posthac nullius hominis propria sunt, iuxta voluntatem Domini, quàm optimè impendendi & dispensandi, etiam contra quàm ab his, qui ea Ecclesiis donarunt, ex errore contra voluntatem Dei fuerunt destinata. Domini enim est terra & plenitudo eius, non hominum. Iam verò manifesta est Missarum peruerlio, quemadmodum supra demonstrauius, conductas precioque redemptas missas facere, qui abusus longo tempore confirmatus est. Quem è medio tollere debemus, & tamen nihilominus, quod Domino, & Ecclesiæ ad talem abusum donatum est, retinere, & ad voluntatem placitumque Domini, & Ecclesiæ vtilitatem impendere ac dispensare, hoc est, ad religionem Christi in ministeriis & instrumentis, diuina & salutaria studia, procuracionem denique & sustentationem pauperum conseruandam & prouehendam.

Quicumque enim aliquid donauit Ecclesiæ, is imprimis Domino id obtulit & sanctificauit. Et licet aliquid ex ignorantia contra quam Domino placet, pro dono ac legatione sua fieri destinasset, tamen si cum Domino est, nihil ei gratius esse potest, quàm vt oblatio sua plenissimè iuxta voluntatem Domini impendatur & dispensetur. Quod si cum Domino non est, neque etiam apud Christianos valere debet, quicquid tandem in bonis Domini ordinauerit aut destinarit.

Nec minus iuris debet habere Christiana Respub. in tali casu, quam Respub. huius mundi. Iam Respub. humana hoc iuris habet, vt si quid alicui ciuitati in spectaculum legatum sit, quod ea ciuitas nolit apud se exhiberi, id quod legatum fuerat, non cedat hæredibus, sed maneat apud Rempub. & in alium aliquem vsum, qui ciuitati placeat, conuertatur. De vsu & vsufructu per legatum. L. Legatum, & sequen. Quare ius istud non potius ciuitati & Reipub. Christi conueniret? Quare non habent Aduersarij, quod iuste consilium nostrum vituperent, quo proposuimus omnia ea, quæ à fraternitatibus, vt vocantur, congesta, & ex ignorantia non ad verum Dei cultum destinati sunt, in Gazophylacium imponere, & ad verè Christianam dispensationem ordinare.

### Tricesimatertia Accusatio.

#### *De Scholis.*

#### CAP. CXXII.



**H**anc Accusationem instituerunt Aduersarij contra id, quod in Libro de Scholis instituendis propositum est, idque propter tres causas. Quarum prima est, quod propositam nobis est in eiusmodi Scholis doctrinam in Libro Reformationis traditam, tanquam verum Catholicæ

Christi Ecclesie consensum promouere. Altera quod eiusmodi libelli in Scholis istis debeant Adolescentibus prelegi, quos non immerito habeant suspectos, vt quibus plurima in sint à Catholica doctrina dissonantia.

Ad vtramque causam respondemus: Doctrina in Libro Reformationis proposita, item libelli, vt adolescentibus in scholis prælegantur, destinati, nihil penitus in se habent, quod Christianæ doctrinæ, non per omnia consentaneum sit, & ex ipso verbo Dei desumptum. Aliter se rem habere nondum demonstrarunt, aduersarij, nec vnquam demonstrare poterunt.

Tertia causa, propter quam nostra de aperiendis Scholis ordinatio aduersarios grauat, est, quod vult vicarias aliquot præbendas & monasteria ad sustentationem earum assignare. Quandoquidem Missæ, ad que vicariæ præbendæ hoc tempore imprimis interuiunt, non debeant amplius celebrari: & ab Apostolis eorumque discipulis Christianæ scholæ institutæ fuerint, quæ tunc temporis fuerint Collegia & monasteria.

Contra ordinationem istam, causasque eiusdem, obiciunt aduersarij primum, Non licere altari cuiquam operiendo, nudare alterum. Item, Non facienda mala, vt eueniant bona, neque licere de alieno largitiones facere.

*Responsio.* Et primo loco ad postremum. Omnia bona Ecclesiastica sūt Domini nostri Iesu Christi, vnde etiam Patrimonium crucifixi appellantur. Quare cū constituiamus, ex mandato Christi, vt cōmunia bona Ecclesiastica Collegiorū & Monasteriorū in nostra diœcesi, quorū omniū suprema administratio & dispensatio nobis demādata est, & quæ nostro tempore magna ex parte ad falsum cultum, vel alioquin inutiliter absumuntur, ad iuentutem piæ ac Christianè erudiendam impendantur, iam non de alienis bonis largitionem facimus, sed administramus ac dispensamus bona Iesu Christi, iuxta placitum ac voluntatem eius. In quo nec facimus malum, vt aliquid boni sequatur: sed bonum facimus, & quod nobis à Domino præceptum est, vt mala tollantur, & annihilentur. Neque vllum altare Christo nudamque, ad operiendum alterum: sed operimenta, que propriè ad altaria Christi pertinent, ab Altaribus Antichristi auferimus, quibus contra ius & fas operata fuerant, isque rursus Christi, cui soli dedicata & sanctificata fuerant, operimus.

Omnes Canones volunt Monachorum Collegia, non debere, vel Parochias, Vel Parochiarum bona possidere. Quare Cistercienses cū Reformationem suam auspicarentur, quemadmodum Sigebertus Gemblacensis, in suo Chronico testatur, omnes Parochias, decimas, aliæque Ecclesiastica bona, à se amouerunt, vt quæ tantummodo ad sustentationem eorum, qui populo in cura animarum, & salutari doctrina præfunt, egentiumque impendi & erogari debeant. Fatentur Monachos debere ex agris suis & pecoribus, proprio labore manuum victum suum  
quæ-

quærere. Hoc est antiquum ius Ecclesiarum, & Monasteriorum, quemadmodum etiam in magno Concilio Chalcedonenſi decretum eſt, omnesque S. Patres, vt Baſilius, Hieronymus, & Auguſtinus, monaſticam vitam deſcripſerunt. Iam vbi non Monachi, ſed inuſiles, nulliusque frugi homines, qui nullo iure, vel inſimam, inter Eccleſiaſticas perſonas, locum tenere poſſunt, ſub nomine Monachorum interdum multarum Eccleſiarum decimas, & alia bona poſſideat, eaque contra Chriſtum Dominum, & Eccleſiam eius abſumunt, ac dilapidant, Ibi merito debent Epifcopi, & alij Magiſtratus in tempore prouidere, Eccleſiisque Chriſti, bona ſua reſtituere. Porro quod Liber Reformationis hanc ob cauſam, Scholam Theologicam merito aperiendam dicit, quod etiam Apoſtoli, eorumque diſcipuli, apud Eccleſias ſuas peculiareſ lectiones, ſcholâſque theologicas habuerunt, quodque tales ſcholæ, primò Collegia ac Monasteria fuerint, id calumniantur aduerſarij, primò quod verbis Libri, ruſus ſuum (tantum) apponunt, quod in Libro non habetur. Is enim dicit, Scholas Theologicas, quas Apoſtoli, & eorum diſcipuli, iuxta Eccleſias ſuas habuerunt, fuiſſe prima Collegia. Ipsi verò dicunt Librum docere, quod Collegia fuerint tantum ſcholæ: ac poſtea longam narrationem taxunt, quomodo olim Eccleſiæ fuerint appellatæ, Dominica, & inde apud Germanos *Thum*, & Canonici *Thumberren*. Verum Liber non habet quod Collegia quæ nunc ſunt, omnia tantum Scholæ fuerint. Adhæc conſtat Tempora Chriſtianorum in Græca lingua *εὐαγγέλιον*, vnde nos Germanicam dictionem noſtram, *Kirch* deducimus, nuncupatâ fuiſſe: & vt veriſimile eſt, nomen *Thum*, & *Thumberren*, inde deriuatum eſſe. Quamuis Diuus Cyprianus etiam officium S. Cœnæ Domini, cum vocat, Epiftoſa 3. lib. 2. & ſermone de Eleemoſyna. At quid hæc omnia faciunt, contra id, quod Apoſtoli eorumque diſcipuli, & veteris veri Canonici, Miniſtri Eccleſiæ Domini, hoc eſt Dominicorum, Chriſtianas verèque theologicas Scholas ſub ſe habuerint? Sanè ab antiquis omnibus inter præcipua Clericorum exercitia numeratur, ſedulo diuinis Scripturis incumbere, eaſque libenter ab iis audire, à quibus aliquid diſci poteſt, ſicut Polycarpus Iohannem, Irenæus Polycarpum. Clemens Alexandrinus Panthenum. Hieronymus Nazianzenum, aliique alios audiuerunt. Sine dubio ad quod B. Apoſtolus ſuum Timotheum, & Hieronymus ſuum Nepotianum hortatur, id omnes veri Canonici, apud veteres obſeruarunt, omni que diligentia, & ſtudio, lectioni, atque auditioni ſacrarum literarum, dies noctesque incubuerunt. Quare talium Canonicoꝝ congregationes & Monasteria (quod nomen in multis Epifcopalibus Eccleſiis, aliſque Collegiis manſit, verum ſine vita) merito Theologica, hoc eſt diuinæ, vel diuinarum Scripturarum Scholæ nuncupantur. Poſtea tales Canonici in meros Cantores & Lectores conuerſi ſunt, quæ peruerſa ratio eſt. Officium enim Sacerdotum eſt, doctrinæ & inſtitutioni

populi, prædicationi verbi Dei, & vniuersæ animarum curæ præesse, quemadmodum Diaconorum, Sacerdotibus in hoc eorum ministerio, auxilio & adiumento esse, vna cum procuratione elemosynæ. Quæ officia cum Sacerdotes & Diaconi prætermittunt, ac soli Lectioni cantationique incumbunt, excommunicari debent, quemadmodum in Concilio Romano, sub D. Gregorio celebrato, ex auctoritate verbi Dei decretum est, Dist. 92. in Sancta. Quomodo possunt igitur Aduersarij, tam impudenter hanc ad eam Christianam, necessariamque correctionem insectari, scribentes, nihil eorum quæ hac de re in libro Refor. commemorata sunt, esse conforme veritati. Legatur apud D. August. lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. cum duobus sequentibus, Item in Psal. 99. & aliis quam plurimis locis, quid de Monasterij Clericorum narret, à quibus maiorem partem Collegiorum, quæ vocantur hoc tempore, habemus. Ostendantur quædam Collegia, quæ non vel Canonicorum, vel Monachorum Benedictinorum Monasteria olim fuerint. Videatur etiam quid hac de re dicatur, 12. q. 1.

Porro quod de authentica Iustiniani, vt determinatus sit Clericorum numerus, adducunt: vtinam & hanc vt alias id genus Christianas huius Imperatoris constitutiones, obseruare firmiter in animum inducerent: Sic enim fieret, vt in hoc negotio, Christianæ Reformationis nullam deinceps litem nobis intenderent. Primum enim requirit hæc Authentica, idque ex autoritate canonum, vt pro quantitate populi, numerus quoque Clericorum vel augeatur, vel minuatur, quo omnibus hominibus, qui ad quamcunque Ecclesiam Christi veniunt, de Christiana doctrina, & omnimoda animarum cura, sufficienter prospiciatur: Secundò, vult solos istos pro Clericis habendos esse, qui non solum nomina ac titulos gerunt, vltimumque ac fructum Ecclesiæ immerentes percipiunt, sed qui opera ministeriorum Ecclesiæ fideliter exequentur ac peragunt.

Hoc tempore innumeri sunt & dicuntur Sacerdotes, Diaconi, Lectores, Cantores & Ostiarij. Verum quis est in tanta turba, qui istorum ministeriorum opera, in populo Christi reipsa expediat, in doctrina & disciplina Christi, lectione S. litterarum præcinendo, excludendo, & admittendo in Ecclesiam iuxta regulam Christi.

Tertiò ne cui Clerico plus tribuatur ad ministerium suum, quo quotidie fungitur, reuera indigeat. Quartò, ne cui Clerico permittatur, ab inferioribus Ecclesiis per alicuius postulationem ad superiores ascendere, taceo, quod vlli permissum fuisset, in pluribus quam in vna Ecclesia & Clericatus & Præbendas possidere.

Quintò, vt quicumque Clerici abundant, in pauperes & egenos distribuantur. Hæc omnia habentur in dicta authentica, & in 6. 58. 67. & 223. Similiter cap. de Sacrosanctis Ecclesiis. L. Qui sub. Quæ si semel Aduersarij & omnis eorum turba reipsa aggredi vellent, sane citissimè inter nos de Christiana Reformatione conueniret. At splendida sunt verba, res nullæ. Ex fructibus cognoscitur arbor.

Producunt postea etiam ex Gratiano 12. quæst. 1. Futuram. Fictum quendam sermonem, qui in ementitis Decretalibus, Papæ Meliadi adscriptus.

scriptus est, in quo meminit, quomodo imperator Constantinus Imperatoriam sedem Romanam s. Petro, & successoribus eius dederit, Concilioque in Nicea celebrato præfuerit. Cum tamen pius ille Papa longo tempore ante Concilium illud sub Tyranno Maximino martyrio coronatus fuerit. Adeo nihil omnino curant, quantumvis falsa sint, quæ proferunt, modo speciem aliquam prætextumque suppetant Christianam Archiepiscopi sui Reformationem calumniandi. Nam etiam si admittimus, quæ ex ficto Meliade de Monasteriis & cœtibus, sub Imperatore Constantino creata adducunt, ea tamen pro Libro Reformationis contra ipsos faciunt. Hæc enim monasteria & cœtus nihil aliud fuerunt, quam Scholæ Theologicæ, quod antiqui omnes vno ore testantur. Et cerè quid aliud sunt vniuersales publicique fidelium cœtus, quam Scholæ Christi Domini, in quibus debemus quotidie discere, Dominum Deum melius cognoscere, & ardentius amare? Orationes suas, & corporales labores simul exercuerunt: lectiones tamen diuine, studiūque sacrarum scripturarum primum ac præcipuum fuerunt. Sicut & Christus Dominus, & S. Apostoli in omnibus congregationibus, ad quas accedebant, doctrinam summam ac præcipuum faciebant, quemadmodum Euangelia, Acta, & Epistolæ Apostolicæ testantur, præsertim verò in 1. ad Cor. 14. docetur.

Hinc est quod ex antiquis Monasteriis ac cœtibus maxima pars præstantissimorum Clericorum & Episcoporum desumebatur. Aduersarij conantur perpetuo suis Cantionibus & Lectionibus, quæ & S. Scripture, & omnibus vetustis canonibus è diametro repugnant, fucò quodam patrocinari, prætexentes auctoritatem veterum, quam inuenire nequeunt.

Quamobrem omnis eorum prædicatio, quam hoc loco de ordinatione, ac forma Colonienſum Collegiorum, primarij & secundarij Clerici: item de Schola Theologica, & Pædagogia, que Ecclesia Metropolitana sibi coherens habeat, subiungunt, tota vana est.

Constat enim quales Scholæ sint, qualis item ordo in aliis Collegiorum officiis ac personis obseruetur. Equidem longissime absunt ab eo ordine, qui ipsis in Decretalibus de Magistris præscriptus est, taceo qui in antiquis ac veris Canonorum cœtibus fuit obseruatus. Quid aliud fit in omnibus collegiis quam psallere, legere, missare, sine mente, sine intellectu & edificatione populi: quin potius ad horrendam omnis superstitionis corroborationem? Idque tantum propter præbendas, per que tales homines, qui paucissimos veterum Canonum tolerare possunt. Vnde est, quod ipsi hoc vitium fateri coguntur, & optare, vt omnia officia & ministeria collegiorum, sicut optimè instituta sunt, rectè obseruentur. Ante omnia verò debebant hoc loco intelligere, institutionem Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorum eius. Hoc pro responsione ad accusationem de Scholis instituendis dicta sufficiant.